



1. Se.
2. Se.
3. Se.
4. Se.
5. Se.
6. Se.
7. Se.
8. Se.
9. Se.
10. Se.
11. Se.
12. Se.
13. Se.
14. Se.
15. Se.
16. Se.
17. Se.



- 1 Schneid De hydropo arête 1781
- 2 Schneiter De haemoptysi 1787
- 3 Schoepff De variis scabies bubali, salibus 1784.
- 4 Schott. De aere humana 1719
5. Schullze De fistulam lacrymalen oarandi metho dis 1780
6. Schumlanth De structura penum 1782.
- 7 Schurer Num in oratione suffragio nit lentis crystallinae
extravasio de positioni sit praeserenda? 1760
8. Schwartz Febris malignae idea generalis. 1760.
9. Schweickhard De non necessaria funiculi umbilicalis
deligatione cum sua epurisi. 1769
- 10 Schweighaeuser. Amplificiorum part. med. Defensio continuata
stini maxime historia 1789.
- 11 Schwendemann Helmitzthorti historia natura, vis 1780.
- 12 Sebitz Febris petechialis 1709
- 13 Sebitz De purgatione 1709
- 14 Sebitz De fracturis ovarium in genere 1683.
- 15 Sebitz De sudore 1688.
- 16 Seiferheld Inflammationis idea 1719
- 17 Silberrad De variolis 1700



SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

DE

H Æ M O P T Y S I

QUOD

GRATIOSE FACULTATIS MEDICÆ

CONSENSU

IN ALMA ARGENTORATENSIVM UNIVERSITATE

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

RITE OBTINENDI

DIE XXI. NOVEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXVII.

PUBLICÈ DEFENDET

JOHANNES GODOFREDUS SCHNEITER

ARGENTORATENSIS

IN AUDITORIO MINORI H. C.

ARGENTORATI,

Typis JOH. HENRICI HEITZ, Univerf. Typogr.



SPECIMEN INUSUALE MEDICINAE

DE

H E M O P T Y S I

DE

GRATIA MEDICINAE

DE O

P A R E N T I B U S

O P T I M I S

A T Q U E

A M I C I S

S A C R U M .

JOHANNES COOPERUS BERNARDUS





§. I.

Hæmoptysis est sanguinis sinceri, spumosi, per vias aëreas cum tussi ut plurimum, rejectio *a*).

§. II.

Quodsi ex vasis pulmonum præprimis arteriosis *b*) rubrum sanguinem vehentibus, aut ex illis quæ tenuiori liquido destinata sunt suisque orificiis in aëreas vesiculas hiant, per loci errorem excernitur, vera adest hæmoptysis, suis signis facile dignoscenda. Sanguis quippe talis, ob majorem non modo, quo agitatur, per pulmones motum,

a) BONETUS *Sepulchret.* Genev. 1699. T. I. L. II. S. V. Obl. 7. allegat observationem duarum fœminarum, quæ sanguinem absque tussi excreverunt.

b) Venas quandoque sanguinem fundere a vulnere, præprimis casu, contusione, alioque accidente violento WILLISIO *Oper. omn. op. posth. de medic. operat.* Lugd. S. I. c. 7. aliisque lubenter concedo. Venas sanguinem paulo floridiorem suppeditare SAUVAGES asserit *Nosol. Method.* Amst. 1763. Tom. III. p. 2. cl. 9. ord. 2. Aliorum potius sententiæ subscribere mallet, qui venarum sanguinem paulo densiorem & profundiore colore tinctum asseverant. Cf. RAULIN *de la Phthisie pulm.* Par. 1784. L. III. C. 2.

fed & ob aërem permixtum spumescens semper rejicitur c) & quidem ob sensum admodum viarum, quas transit tunicam, cum tussi plus minus graviori; id quod in vomitu sic dicto cruento nunquam animadvertere solemus. Si sanguis livescens, subniger & quam maxime alteratus, cum tussi frequenti, gravissima expuitur, ex pectoris cavo provenit; id quod ex difficili respiratione, ex ponderis sensu circa diaphragma, præprimis autem ex ecchymosi circa musculum quadratum lumborum suspicamur d). Levissimo modo, quandoque nulla concomitante tussicula, ac creatu facili & fere insensibili is sanguis in os ascendit, qui ex larynge provenit. WILLISIUS e) plures observavit, qui in pectoris summitate quandam quasi distillationem persentiebant, qua parum sanguinis fluidi ac minime spumosi aliquoties de die exspuebatur, unde nullum incommodum. Provenit is vel ex vasis harum partium exhalantibus, vel & ex glandularum ductibus dilatatis. Huc plane non pertinet illa sanguinis rejeccio, quæ per narium, oris, faucium vascula haud raro fieri solet, diligenti attentione quippe sine multo negotio detegenda f).

c) HIPPOCRATES *Aph. S. V. a. 13.* qui spumofum sanguinem expuunt, his ex pulmone hæc educio fit.

d) SELLE *Med. Clin. Berl. 1783. p. 161.*

e) *l. c.*

f) SWIETEN *Comment. in Bærh. Aphor. Lugd. Bat. 1764. T. IV. §. 1198.*



§. III.

Paroxysmum ingruentem denunciare vulgo solent varia symptomata spasmodica, uti horripilatio, extremitatum praecipuis inferiorum frigus, artuum lassitudo, gravitas, capitis dolor, anxietas circa praecordia, in abdomine borborygmi, alvi obstructiones, flatus. Percipitur nunc sensus quidam pressionis in pectore, dolor in dorso, in aliis major calor in thorace cum levi tussicula; in aliis in dextro, quibusdam in sinistro hypochondrio mirus quidam ac insolitus pulsationis motus ac si sanguis ascenderet thoracem versus g). Respiratio fit difficilis. Humorem salum in ore percipiunt aegri h); nunc quandam stillationem in larynge & aspera arteria strepitumque in pulmone; & sic sanguis exspuitur floridus, spumescens, coccineus, interdum grumofus i) cum tussi sicca, sonora, si parum sanguinis expectoretur, obscura vero, si pleno ore rejicitur. Pulsus parvus, mollis, frequens & undosus est. Periodicus quandoque est paroxysmus hic haemopticus. SAUVAGES k) viros vidit, qui quotannis san-

g) HOFFMANN *Oper.* Genév. 1761. T. II. p. 141. & T. III. p. 61.

h) Ubi ab humorum acrimonia erosus vas oritur haemoptysis. SWIETENIUS *l. c.*

i) Dum sub quovis paroxysmo non omnis semper exspuitur sanguis extravasatus, is, qui remanet, grumescere debet. Is quoque, qui e naribus in fauces & inde laryngem descendit, grumofus rejici solet. HOFFMANN *l. c.*

k) *l. c.*



guinem exspuerunt dato tempore & ad summum pervenerunt senium.

§. IV.

Ad causas, quæ ad morbum nostrum disponunt, merito referenda est totius corporis laxitas atque debilitas, unde non modo fit, ut vasa liquidis impulsis nimium cedant, ita ut illis legitime trajiciendis imparia sint, sed & ut digestionis atque chylicationis negotium multum inde lædatur, unde variæ in sanguine acrimoniæ, quibus ejusdem excitatur orgasmus, simul & læduntur pulmonum vasa, quæ haud raro præ reliquis corporis organis a natiuitate jam ex vitio hæreditario ita male affecta sunt, ut accedente quadam causa occasionali ad hæmoptysin ducant. Qui scapulis eminentibus, thorace planiori, hinc angustiore ejus cavo, longiori collo, facie oblonga, genis rubris præditum sunt, de hæmoptysi periclitantur. Aetas maxime juvenilis, ubi magna adest sanguinis abundantia, ut & circulatio aucta, qua vasa incrementi apicem adepta ulteriori suæ productioni resistunt, dum interim sanguinis copia, acrimonia & impetus adaugetur, ad morbum hunc prædisponit. Nec ætas provec̃ta ab illo immunis est, si consuetæ præprimis sanguinis evacuationes cessant. Ceterum auctus irritabilitatis & sensibilitatis gradus, unde major ad spasmos proclivitas, morbo nostro quam maxime favet.

§. V.

Quæcunque itaque solida infirmant, plethoram inducunt, in sanguine rarefactionem, orgasmum, acrimoniam,

spiffitudinem excitant, ipsos pulmones male afficiunt, tanquam totidem causæ occasionales veniunt, quæ cum prædisponentibus sibi affinis conspirantes, hæmoptoes causam proximam constituunt. Pertinent huc animi pathemata violenta l), quibus citissime tum solidorum, tum & fluidorum motus placidus perturbatur. Quorum illa, quæ excitantia vocant pathologi, sanguinis motum quam maxime accelerant, eumque nunc majori impetu & copia ad debilitatum pulmonum organon determinant. A terrore orta ex visu hæmoptysis frequentioris ipse morbus productus legitur m). Facit huc varia aëris constitutio, magnus præpriprius calor & excedens frigus, quorum ille sanguinem rarefaciendo plethoram non modo, sed & orgasmum inducit; hoc autem constringendo vasa peripheriæ humores majori in copia interiora versus pellit, eosque inspissat. Hiemali tempore, flante borea n), plures observantur hæmoptyses. Si quis æstuante corpore potum frigidum affatim hauserit, in hæmoptoes periculum incidit. HOFFMANNUS o) observationem refert, hæmoptysis a nimia humorum exæstuatione post præviam corporis refrigerationem ortæ.

Errores non minus in diætâ commissi sensim ad morbum nostrum ducunt. Cibi nimis visceridi, a debili ventriculo haud congrue subacti, eadem visceridine inquinant hu-

l) PECHLINI *Observ. physico-medicae*. Hamb. 1691. L. III. Obs. 25.

m) *Miscell. N. C.* Dec. II. a. 4. obs. 45.

n) CELSUS *de Medicina*. Lauf, 1772. T. I. L. II. C. I.

o) *L. c.* T. IV. p. 102.

mores, sanguis hinc viscidus vasorum pulmonalium angustias ægre superabit, tandemque data porta erumpet. Eodem modo & cibi acres, falsi, multo aromate conditi non modo orgasmum in sanguine excitant, sed & eundem varia sua acrimonia inficiunt. Potus quoque fermentati, spirituosi, nimia in copia ingurgitati tum orgasmum in sanguine producant, tum & acri suo spirituosio fluida densant, inspissant p), tandemque omne solidorum robur penitus dejiciunt; unde circulationis torpor, frigus, vires exhaustæ omniumque functionum languor, quæ in pulmone prædisposito recta via ad hæmoptysin ducunt. Omnes morbi, unde copia, acrimonia, rarefactio sanguinis adaugetur huc quoque symbolam suam conferunt. A nimia sanguinis solutione ex protracto mercurii usu orta fuit hæmoptysis. Immoderata venus solida infirmando, fluida inspissando, vim vivam ac nerveam infrigendo idem malum producere valet. Nimiam infantum lactationem æque ac sterni compressionem in infantibus, dum ancillæ saliendo cum illis ludunt, multum huc conferre facile intellectu est.

§. VI.

Exanthemata retropulsa, metastases, ulcera chronica, fistulas præcipue anî male tractatas hæmoptysin junduxisse medicorum observationes docent. Eandem & a variis excretionibus consuetis retentis, suppressis timendam esse, colligere

p) GAUB. *Instit. Pathol.* Lugd. Batav. 1781. §. 467.



colligere pronum est. Et accusandæ hic sunt viscerum abdominalium obstructions, scirrhi, quibus sanguinis non modo circuitus perturbatur quam maxime, unde spasmi, sed is quoque ad debilitatos pulmones majori in copia nunc ruit; ut ergo HIPPOCRATES q) sputum sanguinis recte & ab hepate deducat, multosque inde perire pronunciet. Idem malum & in morbo hypochondriaco sine materie a spastica vasorum pulmonalium constrictione metuendum est r). Fœminæ præprimis hystericae hæmoptysi sæpius tentantur; non modo ob nimis elastica vasa & nervos uteri, unde fit, ut quo natura exonerare se tentat, sanguinis impetui nimis resistant, sed & ob aliorum viscerum spasticas constrictiones; cujus memorabilem casum refert LEUTHNER s). Et aortæ aneurysmata hæmoptysin induxisse observationes docent t).

§. VII.

Varia quoque ipsorum pulmonum vitia idiopathicam hæmoptysin producere valent. Qualia sunt tussis chronica, pulmonum scirrhi, tubercula, vomicae, calculi u), gypseæ, cretaceæ concreciones, vasorum polypi, aneurysmata, va-

q) *Opera omnia, cura VAN DER LINDEN.* Lugd. Batav. 1645. *Coac. prænot.* n. 408. & 450.

r) HOFFMANNUS l. c. p. 104.

s) *Practische Heilverf. der Mutterdünste.* Ulm 1779. p. 240.

t) Cf. RUMPLER obs. 81. ap. *Welsch. observ. medicinal.*

u) MORTON *Oper. med.* Genev. 1698. C. VI. & FECHLIN, L. II. obs. 14.



rices, pleuræ & pulmonum inflammatio, catarrhi, phthisis pulmonalis. Varii vapores metallici, arsenicales, mercuriales, &c. ad pulmones admissi v), ut hinc & varii opifices præ reliquis huic morbo magis obnoxii sint x). Nimum tandem motum, ictum, lapsum, costarum fracturam, vo-ciferationem, cantum, spiritus violentam retentionem sub ponderis elevatione, partus labore, nimiam quoque extre-mitatum inferiorum strictionem hæmoptysin sæpius inducere experientia evictum est. Et hanc quidem accidentalem vo-cant medici, quæ rarius recrudescit, febrisque ut plurimum expers est, quum habitualis nomine insigniatur illa, quæ a vitiiis in corpore hærentibus oritur, sæpius recurrit, & sin-gulis fere diebus cum frigore febrili conjuncta est y).

Aestate aliam quandoque hæmoptysin observare solemus tanquam febris biliosæ symptoma, quam STOLL z) biliosam vocat. Etiam absque febre manifesta hæ-moptysis oriri solet a biliosarum sordium circa præcordia congestione derivanda, atque ex sapore amaro reliquisque notis symptomatibus facile dignoscenda.

§. VIII.

Hicce probe consideratis, causa proxima hæmoptyses erit vasorum pulmonalium anastomosis, erosio aut ruptura.

v) BARTHOLINI *Epist. med.* Hafn. 1667. Cent. IV. ep. 72.

x) RAMAZZINI *Abhandl. v. den Krankh. der Künstler, &c.* Sten-dal 1780. I. Th. C. V. — VIII.

y) SAUVAGES *l. c.*

z) *Ratio medendi.* Vienn. Austr. 1778. P. II. p. 114.

Raro transfudationem per tunicas vasorum teneriores & sanguine tenuiori derivandam hujus morbi causam esse SWIETENIUS monet *a*). Anastomofin quidem suspicatur medicus, ubi in molli ac tenero corporis habitu plethora, sanguinis orgasmus & rarefactio adest, unde fit, ut majori vi ac impetu in vasorum latera agat, minora nimium distendat atque per eorundem orificia tandem erumpat. Ad diabrosin concludit ex variis humorum acrimoniis, quæ suis signis deteguntur, quibus pulmonum vasa sensim corroduntur *b*); dein ex tussi diuturna valida prægressa; ex dolore, qui in thorace perceptus fuit; & si in parca quidem copia, sed fere perpetuo expuitur sanguis, aut si pulmones quoque in suppurationem abeunt, unde vasa a pure eroduntur. Rupturam metuit medicus a sanguine nimis spisso, lento, a quacunque vi externa pulmonibus illata & a largiori quoque sanguinis, qui rejicitur copia, ita ut quandoque vomitum cruentum æmuletur.

a) l. c.

b) Hæcce erosio quoque post simplicem anastomofin metuenda, quam sanguis in cellulofam per anastomofin effusus sensim acrior fit, & vicina vascula corrodit, quam erosionem factam medicus ex accedente febre suspicatur. Imo sæpius accidere poterit, ut vera in pulmonibus contingat hæmorrhagia, licet nulla accedat hæmoptysis, dum sanguis extravasatus intra hujus visceris cellulas coercitus, nullumque aditum ad bronchiales ramulos reperiens, sensim acrior evadit, ita quis phthificus moriatur, licet nullum expuerit sanguinem.



§. IX.

Hæmoptysis omnium hæmorrhagiarum fere periculossima est, quia tum ob perpetuum pulmonum motum, vasorum consolidatio perquam difficilis est, tum & si non recte tractetur, nec congrua vivendi ratio accedit, sæpius pulmonalem phthisin excitare solet. Quod si enim a vasorum ruptura oritur hæmoptysis, excitatur vulnus, unde inflammatio, adeoque febris, quam suppuratio excipit, qua natura vulnus factum consolidare tentat. Hæc suppuratio autem haud raro per mollem ac cellulosum pulmonum substantiam propagatur, aut in ulcus abit, quod sensim augetur, unde vera causa phthiseos pulmonalis. Idem & metuendum est a sanguine coagulato residuo, unde ejus corruptio, vicinarum partium erosio, inflammatio, ulcera, tandemque funesta phthisis; quam semper jure suspicamur, si, hæmoptysi licet fugata, pectoris tamen oppressio, tussis sicca, asthma, frigus calorque alternans, magna fitis atque totius corporis debilitas remanet. Id quod eo citius certiusque contingit, si ab humorum acrimonia & erosione orta fuerit hæmoptysis, quæ semper periculossior ac curatu difficilior est. Hinc teste TRALLIANO c) pessimorum morborum chronicorum causa est.—Egregie annotavit HIPPOCRATES d) *qui sanguinem evomunt febris expertes, salutare est, verum cum febre, malum.* Experientia quippe

c) *Libr. duodec. græc. & latin.* Basil. 1556. L. VII. C. I.

d) *Aphor.* L. VII. a. 37.



evidium est, quod febris præsentia vel absentia in hæmoptysi optimum exhibeat prognosticon; licet enim sanguinis effusio copiosa sit, si modo nulla accedit febris, neque vires penitus dejiciuntur, spes salutis affulget. Quodsi autem illa cum febre continua, remittente, lenta, stipata est, phthisis periculum imminet e). Hæmoptysis hæreditaria ut & habitualis pejor est accidentali & acquisita. Ab anastomosi orta, in corpore sano non adeo multum metuere facit; hæc enim sanguinis effusio, si modum non excedat, sæpe tanquam salutare naturæ conamen consideranda, unde medico innotescit, quid ipsi nunc agendum sit. Hinc & mulieres in mensium obstructione ut quoque graviditatis tempore sæpius hæmoptysi tentantur, unde autem plerumque nullum iis incommodum imminet. Si autem illa in gravidis oriatur a vasorum ruptura, tunc longe periculosior est, quum in his circa venæsectionem cautius mercandum, & respiratio jamjam per se difficilis sit. Quodsi vasa perpetuo impulsa omnem sensum tonum amittant illorumque orificia haud amplius obserari queant, pessima omnino metuenda sunt. A quacunque enim hæmorrhagia, si sanguis reiteratis vicibus nimia in copia effunditur, summa oritur debilitas, varii morbi chronici, aut & ex inanitione mors. In senibus hæmoptysis vel si levior fuerit, magna tamen timenda virium dejectio, putridave pulmonum corruptio, quam hæcticus calor sequitur, corporis vires tandem

e) LE ROY *Abhandl. v. den Vorherk.* Leipz. 1787. p. 140.



cum vita penitus consumens. Grave periculum subest, si hæmoptysis ab abdominalium viscerum obstructione producta fuerit. Ubi illa a magna pulmonum labe, quam tollere non possis, omnino funesta est. Quodsi cessante hæmoptysi, hinc inde dolores rheumatici surgunt, sæpius metastasis salutaris instat. Sanguinis e faucibus partibusque vicinis rejectio sæpius veræ hæmoptysi præcedit, ut ad hanc medico imprimis respiciendum sit.

§. X.

Hiscæ præmissis in hæmoptyseos therapia indicatio requirit, ut imminuatur plethora sanguinisque orgasmus; ut is avertatur a pulmonibus; acrimonia humorum corrigatur; irritamentum partis affectæ leniatur & tollatur; ut spasmi sopiantur, obstructiones referentur; vasa conglutinentur; tandemque pulmonibus pristinum robur restituatur. Et quidem paroxysmi tempore medicum minime otiosum spectatorem esse oportet, cunctando enim ægrotum in maximum conjiceret periculum. Adeoque nulla licet præsentè plethora, venæsectio tamen ut plurimum citissime instituenda, immo & repetenda est, ut sanguinis ad pulmones impetus & orgasmus avertatur; hæc tamen cautela, ut hæc sanguinis detractiones non sæpius justo repetantur, ne cum sanguine essluat vita, aut funestæ tabis metus oriatur. Si hæmoptoico fluxu jam maxima copia exiverit sanguinis, ut vita jam sit debilissima, si quoque in corpore oriatur diuturno morbo fracto, a venæsectione quoque de-

fistendum est. Quodsi a plethora orta fuerit menstruorum atque hæmorrhoidum suppressio, & ab hac hæmoptysis, larga quoque venæsectio statim est celebranda; hocce enim auxilii genere feliciter sæpius restituuntur consueta hæ sanguinis evacuationes & ita sedatur hæmoptysis. Quum autem aliis ex causis ortum suum ducunt dictæ hæ suppressiones, tum omnino quoque ad illa remedia confugiendum, quæ illas tollunt, non neglecta autem venæsectione etiam reiteratis vicibus, si indicatur, instituenda; sic enim per inducias melius hostem conjunctis viribus debellare possumus. Interim tamen nobis non semper adeo felicibus esse contingit, ut eundem penitus vincamus. RAULIN *f*) a mensibus suppressis hæmoptysin & ab hac phthysin vidit pulmonalem; & plures ejusmodi observationes medicorum annales offerunt.

§. XI.

Nec omittenda sunt in hæmoptoico paroxysmo pediluvia atque semicupia, tunc præprimis adhibenda, quando ex motibus spasmodicis atque ex pulsu duro imminentem paroxysmum metuimus. His enim sanguinem non modo a pulmonibus derivamus, sed & spasms medemur. Immissio manuum in aquam tepidam suam quoque symbolam confert. Faciunt huc non minus clysmata emollientia, tunc præprimis commendanda, si ab alvo tarda & magno eam

f) *Nouvel. obs. sur la phthis. pulm. obs. 1.*



deponendi conatu, pulmonibus quippe hic semper inimico, originem ducat hæmoptysis. Si intestina flatibus sunt distenta, nulla carminativa, quæ exæstuando semper agunt, sed mox dicta clysmata, simul & eccoprotica lenissima adhibenda sunt, nunquam autem nimium repetenda, ne corpus bonis succis exhaustum tabe tandem corripiatur *g*). Ligaturas crurum, femorum, brachiorum laudant viri clarissimi *h*) in hæmoptysi rebeli, his enim efficimus, ne sanguis venosus tanta in copia ad cor antèrùs ruere possit. Quid de extremitatum frictionibus censendum? licet clarissimi in arte viri illas laudaverint, scopo quippe sanguinem a pulmonibus derivandi, cogitandum tamen est, quod sanguinis-circulus inde adaugeatur *i*).

§. XII.

Præter modo dicta & sanguinis orgasmus est compescendus, ad id obtinendum præter aërem frigidum, summa quies & animi & corporis, ac silentium ægro sunt commendanda *h*); evitatis simul omnibus, quæ vel minimum

g) SYDENHAM *Oper. omn.* Lugd. Bat. p. 285.

h) SWIETENIUS, HOFFMANNUS, WILLISIUS *L. c. DE HEN Rat. med.* p. X. LIEUTAUD *Précis de la med. prat.* Par. 1760. p. 252. & alii.

i) *Frictiones hæmoptoicis inimicas pronuntiavit jam CELSUS* L. IV. C. 4.

k) CELSUS *L. c.*

minimum stimulum excitare valent. Pertinent huc propriis refrigerantia & demulcentia medicamina. Nitrum, sanguinis æstum temperare, unanimi medicorum consensu & experientia evictum est. Cum optimo sæpius successu DICKSON 1) illud cum rosarum conserva aut ceti spermate mixtum sub electuarii forma exhibuit, de rosarum vi adstringente autem non multum sperasse videtur. Num & aqua frigida suadenda? sanguinis orgasmum inde compesci certum; DE HÆN m) curam hæmoptyscos aqua gelida egregie promoveri observationibus probat, neque inflammationem, neque sanguinis polypos inde metuendum esse asserens. HOFFMANNUS quoque experientia ductus, cum pluribus aliis tum aquæ frigidæ potum, tum & eandem pectori applicatam commendat n); cum horrore incusso vasa constringi videantur. Hinc reliquis incassum tentatis, ubi maximum imminet periculum, & ad hocce auxilium confugere vellem, quum in desperatis casibus anceps licet remedium melius sit nullo o) & omnia sint in usum trahenda, quæcunque unquam a magnæ autoritatis viris commendata fuerunt, ne saltem quid inexpertum reliquisse videamur: id tamen observandum, quod in hominibus plethoricis venæsectio sit præmittenda; & in mensium ac hæmorrhoi-

1) Apud MANNING *neue Entdeckung* &c. Leipz. 1786. ↓ Th. p. 238.

m) *l. c.*

n) *l. c.*

o) SWIETENIUS *l. c.*



dum suppressione hirudines & suppositoria sint applicanda p).

§. XIII.

Si a vitii pulmonum topicis, ab humoribus acerbis, vel a spasms excitatur acerrima tussis & inde sanguinis ergasmus, fluxum hæmopticum suslinens, tunc demulcentia in usum vocanda sunt. Præter abstinentiam ab omni acri commendanda est diæta lactea, blandissima, gelatinosa, emulsiones, gummi tragacantha, arabicum q). Si hæc non sufficiunt, tunc ad tussim & spasmos sedandos ad opium confugiendum, nunquam autem acrimoniam corrigendi, sanguinem coagulandi, vasa deplendi, sanguinis e pulmone effluxum cohibendi scopo, quum hæc a multis deprædicatæ opii vires TRALLESIO teste inanes plane sint r). Cl. MARX s) a dimidio ejus grano quavis vespera exhibito præmissa venæsectione & leni purgante egregios vidit effectus. Laudantur in morbo nostro & vesicatoria, nec immerito, quum sæpissime humores acres causæ hæmopticos sunt, & si a pulmonum spasms effet deducenda, unde scilicet sanguinis circuitus redderetur admodum inæqualis, tum vesicatorium inter scapulas applicitum egregium sæpius

p) WEIKARD *vermischte Schriften*. Frf. 1782. III. Th. p 6 — 9.

q) Circa emollientia autem caute semper versandum, largius enim data, tonum pulmonum relaxant, simul & digestionem lædunt, hinc cum illis semper lenia adstringentia sunt combinanda.

r) *De Usu opii*. Uratisl. 1749. S. II. C. IV. §. 2.

s) *Von der Lungensucht*. Hannov. 1784. p. 160.

effectum edere observatum fuerit. MERTENS *t*) hæmoptysin quoque mense, imminente fluxu menstruo recurrentem, illico compefcuit vesicatorio, eundemque effectum vidit aliquoties in hæmoptysi ab hæmorrhoidibus suppressis orta. PERCIVAL *u*) id cervici applicitum admodum efficax vidit in narium hæmorrhagia, nonne itaque ex analogia concludere licet, eundem quoque effectum ab eo in hæmoptysi expectandum esse?

§. XIV.

Sunt qui oleum lini quoque tanquam egregium medicamentum commendant in morbo nostro. GOSSE *v*) experientia cl. MICHEL edoctus, felicem inde observavit effectum. Exhibebat foemina quinquaginta & sex annorum, constitutionis admodum delicatae, quae subito terrore perculsa jam per triduum sanguinem expuebat duo modo per diem hujus olei cochlearia, eo, ut fert effectum ut hæmoptysis incantamenti ad instar statim evanuerit. PLANCHON *x*) eundem aliquoties vidit effectum, præprimis in viro jam per longum tempus morbo huic obnoxio. Sic HIPPOCRATES *y*) jam semen lincum lacte caprillo laudavit.

Radice Ipecacoannæ, non minoris fuisse efficaciam in variis hæmorrhagiis a spasmus oriundis legitur apud BA-

t) *Beobacht. der Faulfieber* &c. Wien. III. Th. 2. Cap.

u) *Medic. and experim. essays*. Lond. 1783. vol. I. p. 233.

v) *Journal de Med.* T. XXX. a. 1769.

x) *Ibidem*.

y) *l. c. T. II. l. de inten. affect.* n. 6.



GLIV z); KÄMPF a) & MICHAELIS b) in hæmoptysi rebellī quoque felicissimum inde observarunt effectum. Cel. RICHTER in prælectionibus suis semper commendat emulsionem amygdalinam cum gummi arabico & radice Ipecacoannæ c). DALBERG d) in hæmorrhagiis uterinis quovis quartæ horæ spatio exhibebat pulverem ex tertia grani parte Ipecacoannæ & serupulo sacchari. Aliquoties eandem quoque dabat in hæmoptysi, quum autem simul & aliis remediis usus fuerit, hinc de hoc nihil decidere audeat. Ipecacoannam in refracta dosi exhibitam resolvendo humorum spissitudinī mederi, notum est; num autem in hæmoptysi quoque specificè agat, proferre non audeo. Ceterum DALBERG & REID e) persuasum habent, nullum inde periculum esse metuendum, quum pluries viderint, hanc radicem hæmoptoicis exhibitam, vomitum quidem excitasse, ita tamen, ut morbus inde non fuerit adauctus, sed potius imminutus.

In hæmoptysi biliosa, remedia solita malum exacerbant, fordes biliosæ itaque congruis remediis evacuandæ sunt. Plures vidit cel. STOLL f), qui vomitione prima vix abso-

z) *Opera*. Lugd. Batav. 1749. p. 109.

a) *Encheirid. medic.* Francof. 1778. p. 170.

b) *De Angina polyposa*. Gætting. 1778. p. 121.

c) Apud MEYER *de Ipecacoann. virib.* Gætt.

d) *Von der Wirkung der Ipecac. in kleiner Dosi, in dem 32 Th. der Schwed. Acad. der Wissenschaften.*

e) *Essay on the nature and cure of the phthis. pulm.* Lond. 1785. p. 354.

f) *l. c.*

luta, ne guttulam sanguinis amplius rejecerunt, & alii, qui adhuc perpaucum modo cruoris sputabant, & sani posthac discesserunt, ubi stomachicis & amaricantibus usi fuerunt.

§. XV.

Quid de adstringentibus censendum in morbo nostro? Laudantur ab his, culpantur ab illis. Metuunt multi, ne illis, si præprimis fortiora sunt, ex regno quippe minerali defumta, plus damni quam utilitatis afferatur. Quod si enim theoretice considerantur, ne quidem ad secundas vias pervenire possunt, dum primarium viarum absorbentia vasa constringendo sibi viam transeundi præcludunt; hinc solummodo in canalis alimentaris membranas agere videntur; eorumque vis adstringens, quam in visceris hujus nervos exercent, totum vasorum systema in motum ducit, adeoque omnia vasa inde sollicitantur, ut fluida nunc majori vi ac copia ad illum locum ruant, ubi minor est resistentia. Eundem effectum exserere debent, si quoque ad humorum massam pervenirent revera, quum nulla ratio adsit, cur præcise pulmonum vasa constringendo vim suam exserere debeant. Hinc & cel. SWIETENIUS g) inquit; adstringentia vix fluunt per vasa, dum lactea constringunt, & si quoque admittuntur, ea ad constrictiones sollicitant, sæpe motum circuli augent, ut sanguis majori in copia ad partem affectam ruat, aut coagulando sanguinem potius mortem inducerent, impedito nempe sanguinis per pulmo-

g) l. c.



nes transitu, antequam ad locum affectum pervenire possent. FRACASSINI *h)* remedia adstringentia cane & angue pejus evitanda esse monet, dum sanguinem quidem sistunt, lentescentem autem solvere non possunt; ipsum autem stagnantem eo magis coagulant. RAULIN *i)* contra adstringentium usum totis viribus infurgit, & tunc modo ea concedenda esse monet, quando vasorum atonia inanitione inducta metuenda est, dum hisce sub circumstantiis membranarum tonum excitant, conservant, ita ut vulneris labia propius ad se invicem accedant, & ita conglutinentur, ut hæmorrhagia penitus cesset, si quidem inflammatio nullam post se trahit suppurationem.

Interim tamen experientia omni theoria major docet, etiam valida adstringentia ex regno minerali desumpta, sæpius summo cum successu fuisse exhibita. HOFFMANNUS, qui in hæmoptysi adstringentibus cohibita, pulmonum corruptiones, exulcerationes &c. quam maxime metuit, ob grumulos relictos, quibus vasa vel obstruuntur, vel ii in corruptionem abeunt: alibi tamen acidum vitriolicum singularem virtutem possidere, ad sanguinis orgasmum in hæmoptysi compefcendum docet. Acidum quippe hoc refrigerat, sanguinem condensat, atque vasa nimium distenta constringit. In illa præprimis hæmoptysi, quæ a mensum suppressione oritur, acidum hoc minerale sufficienti aquæ copia dilutum egregias haud raro vires edere solet. III.

h) Opusc. pathol. Lips. 1748. *Mal. hypoch.* p. 388.

i) l. c. p. 95.



MARX *k*) spiritum vitrioli, in sceminis quibus ex parciore fluxu menstruo sanguinis impetus ad pulmones ferebatur, per plures menses sumtum, vidit efficacissimum, cessabat quippe impetus, & sanguis menstruus majori in copia per solitam viam excernebatur. Hinc & HERZ. *l*) in sceminis hæmoptoicis, ab usu acidi vitriolici, quod alias cum egregio exhibebat effectu, sæpius desistere cogebatur, dum validissimos dorfi & lumborum dolores post se trahebat, unde recte concludit, id virtutem suam quoque in vasa uterina exserere. Nonne de acido vitriolico in hæmoptysi a suppressis hæmorrhoidibus orta, mox dicta virtus expectanda est? videtur. Hocce acidum autem cum marte unitum omnino evitandum est, quum humorum circulum nimium adaugeat. — Idem in tussi vehementi sicca cum hæmoptysi conjuncta, Lichenem Islandicum quoque efficacem vidit, & sæpius observavit, quod sub ejus usu fluxus menstruus maturius justo in conspectum venerit. Idem & de balsamis nativis dictum esto, quum calefaciendo agant, hinc quoque, si quis eorum periculum facere vellet, non nisi in refracta dosi sunt exhibenda: potius conducunt herbæ balsamicæ, qualis veronica, scabiosa, scordium, pulmonaria, hederæ terrestris &c. sunt. Lego quidem apud MEAD *m*) balsamum Tolutanum eo modo fumatum, quo utimur nicotiana, præcipuo usui fuisse in hæ-

k) l. c. p. 162.

l) *Briefe an Aerzte*. Berl. 1784. 2. Samml. p. 70.

m) *Medical Works*. Lond. 1762. p. 478.



moptysi. Fides sit penes autorem, equidem mihi id persuadere non possum, quum hæcce medicina irritando agat.

§. XVI.

Alumen sæpius cum successu exhibitum fuisse in hæmoptysi, quæ a debilitate topica pulmonum, a sanguinis nimia dissolutione, putrida ac scorbutica diatesi oritur, asserit LINDT n). Cel. CULLEN & BOSQUILLON usitatissimis adstringentibus alumen præferunt, quod tutissimum & efficacissimum pronunciant o). Hæmoptysis cum febre putrida conjuncta requirit antiseptica summe efficacia. MARX p) in hæmoptysi ab humorum dissolutione, ut & in scorbuto putridæ indolis efficax vidit vitriolum cœruleum, dissolvebat is decem ejus grana in duabus libris aquæ destillatæ, cujus mixturæ quavis hora exhibebat parvum cochlear; raro inde observavit vomitum, fere semper autem lenem alvi ductionem, pro potu aquam frigidam cum aceto exhibuit, felicemque hujus remedii effectum observationibus probat: in tali hæmoptysi omnino a venæsectione desistendum, quum sanguis inde magis adhuc dissolutioni pronus redderetur. Ceterum de adstringentibus adhuc annotandum, quod prudentem & cautum requirant medicum, quum illa male exhibita, hæmoptysi licet sedata, haud raro

n) *De Aluminis virtute.* Gœtting.

o) *Elemens de Médecine pratique.* Par. 1787. L. IV. C. I. Sect. IV. §. 708.

p) *L. c.* p. 130.

raro magnam præcordiorum anxietatem, aliaque graviora symptomata inducant. In hoc statu MARX venæsectionem, diætam refrigerantem, quietem, infusum herbarum emollientium, & ad expectorationem promovendam oxymel squilliticum cum sale ammoniaco; vapores calidos ejusdem infusi, proficuos quoque esse monet *q)*, quando a vaporibus acerbis hæmoptysis est metuenda. In genere cum supra dictum fuerit, hæmoptysin febre stipatam mali semper ominis esse, medico semper eo amittendum omni opera erit, ut ea imminuatur penitusque fugetur, ne morbo secundario rapiatur æger.

§. XVII.

Paroxyfmo hæmoptico feliciter superato, cura præservatoria consistit præprimis in stricta diætâ reconvalescenti strenue inculcanda. Sæpius enim, dum æger, inflammatione dissipata, fluxuque hæmoptico sedato, se nunc perfecte sanum credit, varia vitia circa diætâ committit, atque sic morbus aut atrocius recrudescere aut alia funesta symptomata post se trahere solet; haud raro enim supervenit parva tussis, quæ vires sensim acquirit eundo; percipit ægrotans dolorem quandam puncturium, adaugetur tussis quam maxime, sputa pure mixta excernuntur, tandemque febris accedit hæctica cum omnibus phthisis pulmonalis symptomatibus. Et illi strictissimæ diætæ adstringendi sunt, qui, licet hæmoptysi nondum fuerint tentati; ad hunc morbum tamen

q) Optimam machinam ad vapores inhalandos nobis dedit.
MUDGE *Abhandl. von dem Catarrhal. Husten.* Leipz. 1780.



quam maxime prædispositi sunt. Regimen ipsis observandum hoc est; abstineant se ab omnibus acris cibis, multo sale & aromate conditis, a carne, leguminibus, a potu fermentato, spirituoso, ab omni cibo potuque itaque, quo corporis plethora, sanguinisque organus adaugeri potest. Commendentur iis moderatæ deambulationes *r*) aut qui frui possunt, lentæ navigationes *s*); vescantur aëre puro, sereno, non calido. Evitent nimios motus tam corporis, ut saltationes, cantus, clamorem &c. quam animi. Seligant alimenta vegetabilia refrigerantia, fructus horæos acidulos, carnis juscula tenuiora, quæ autem non nisi acido citri condita exhibenda erunt. Pro potu utantur hordei, oryza, avenæ decocto, aqua pura aut selterana pauco lacte mixta, pulmonibus quippe valde amica. Ad plethoram adhuc efficacius præcavendam instituat subinde venæsectio, quæ tunc temporis inprimis necessaria est, quando ex visus perturbatione, qua fit, ut ægotans objecta non amplius distincte videre possit, imminentem paroxysmum auguramur *t*). Quod si hoc auxilio non imminuitur sanguinis ad pulmones congestio, aqua frigida pectori est applicanda, ita ut interim pedes aquæ tepidæ immittantur.

§. XVIII.

Qui varia laborant humorum cacochymia, nutriant se vegetabilibus attenuantibus, resolventibus, involventibus & corrigentibus, diaphoreticis & diureticis, quibus humo-

r) HIPPOCR. *Lib. de intern. affat.*

s) MANNING *l. c.*

t) MARX *l. c. p. 98.*

res corriguntur ac a suis fordibus depurantur. Pertinent huc plantæ amariuscule atque leniter antiscorbuticæ. — Qui morbis laborant spasmodicis ac viscerum abdominalium obstructionibus, non prius collocantur in tuto, quam vasorum obstructiones reseratae sunt. Faciunt huc præter consueta medicamenta deobstruentia, clysmata resolventia *u)*, alimenta, quæ resolventem, attenuantem, saponaceam virtutem possident, qualia herbæ & radices dulces ac amariuscule sunt.

Mulieres durante fluxu menstruo evitent tam animi quam corporis vehementiores motus, pedum refrigerationem, cibos digestu difficiles, adstringentes, viscidos, carnem tenacem, annosorem. Viri respiciant ad hæmorrhoidalem fluxum, quo laborant: hirudinum ad anum applicationem non obliviscantur. Qui magna sanguinis quantitate amissa, debilissimi sunt, cibis vescantur eupeptis, gelatinosis, mucosis, qualia fortiora carnis juscula sunt, quæ autem non nisi in refracta dosi una vice sunt assumenda; & alvus semper aperta servetur.

Interim & ad pulmonum tonum est respiciendum, qui si multum est dejectus, Peruviano cortice est restituendus; caute autem hoc remedium est adhibendum. MORTON *x)* quidem corticem Peruvianum hæmoptysin præsentem tuto sanare futuramque præcavere monet, id quod autem cum grano falis est intelligendum. Nunquam quippe cortex ex-

u) KIEMPF *Abhandl. von einer neuen Methode, die Krankh. die ihren Sitz im Unterleib haben, sicher und gründlich zu heilen.* Leipz. 1786. p. 206.

x) *Phthysiol.* S. III. C. 5.

hibendus est, si inflammatio pulmones tenet, si variis acrimoniis inquinati sunt humores, si viscera abdominalia sunt obstructa; is enim tunc demum convenit, quando hæmoptysis est sedata, nullum adest asthma, & nulla amplius metueda est inflammatio y). MARX z) cum aliis autoribus observavit, quod ubi cortex in majori hujus morbi gradu copiose exhibitus fuerit, hæmoptysis plerumque sese in lethalem phthisin terminaverit.

Quoad pulmonum tubercula, vomicas, scirrhos &c. si ab his hæmoptysis fuerit orta, parum sperandum, raro enim tum naturæ, tum artis viribus hi morbi superantur.

y) CULLEN & BOSQUILLON l. c. n. 800. & 848.

z) l. c. p. 122.

T H E S E S.

- I. *Florum Arnicæ infusum, relicum ab hæmoptysi in pulmonibus sanguinem, optime resolvit.*
- II. *Hæmoptysis a mensium fluxu suppresso orta, sæpissime usui pulveris rubicæ tindorum feliciter cedit.*
- III. *In hydrophobia tutissimum hodie remedium est mercurius.*
- IV. *Non datur certum graviditatis signum, nisi quarto quintove graviditatis mense exacto.*
- V. *Membranis nondum ruptis, exploratio membri fœtus partu sese sistentis, perquam difficilis & fallax est.*
- VI. *Sanguinis profluvio versus graviditatis finem contingente, viribusque eodem jam consumptis, unicum auxilium in acceleratione partus quaerendum est.*
- VII. *Convulsiones sub parturientis labore incidentes vix ullum admittunt auxilium.*
- VIII. *Pessime agunt, obstetrices, quæ statim post partum omnem curam in neophytum impendunt, matrem autem penitus sibi relinquunt.*
- IX. *Spina bifida nullam plane admittit operationem.*

v







ULB Halle
006 608 760

3



56

WDA





SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM

DE

HÆMOPHTYSSI

QUOD

GRATIOSE FACULTATIS MEDICÆ

sitiique defectu
umptus, stoma-
postulet, gene-
diureticis, ape-
uncium subitum
n valedicendum;
quam ocys: ita
neque tamen
opera removen-
ito recrudescunt.
caae vixerunt mu-
go jam tempore



UNIVERSITATE

TORIS

CCLXXXVII

SCHNEITER

erf. Typogr.

